



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Cap. 1. Qvomodo D. Iosephus Filius Davidis Regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

nem agentem non procedere in illis quæ facit ad extra, nisi ad modum nostrum, dicimus consequenter productionem D. Josephi opus esse adeo excellens & sublime, ut Deus in mente sua illius idæam præformaverit atque ut undequaque perfectum eum redderet, eo ferè modo se gessisse quo sapientissimus artifex qui non solet ad summi alicujus & excellentissimi operis executionem prius manum admove-

re quàm animum, atque adeo nonnisi prius maturè consideratis & perpensis illis omnibus in quibus est actus, id est quæ cōducere possunt ad operis suscepti perfectionem, selectis ex variis quæ occurrunt illis quæ aptiora sunt, ut illud omnibus numeris evadat absolutum: Deniq; tentatâ, prius quàm ad materiâ ex qua illud prænobile opus conficiendum est, arte suâ in aliâ minoris pretii & valoris materiâ: Et hoc de Proludiis,

TRACTATUS SECUNDUS.

Divus Josephus Filius Davidis Regis in Esse Naturali.

CAPUT I.

Quomodo D. Josephus Filius Davidis Regis.

I.



INCIPIMUS descendere in materiam in fronte hujus Partis præfixam post præmissâ ex necessitate illa quæ in præcedentibus prolusimus: Ordo enim rationis exigebat, ut prius agnosceremus quàm insigniter hoc præcellsum & prænobile gratiæ opus, à Supremo artifice Deo fuerit decretum & præordinatum. Deinde quàm accuratè delineatum, adumbratum & præfiguratum, in illis Sanctis qui illum præcesserunt; ac tum demum considerarem materiam ex qua illud idem opus compactum est, petram ex qua vir ille Sanctissimus excisus est, sanguinem ex quo concretus est, quod hic & sequentibus capitibus factum imus.

II.

Dico ergo fuit D. Josephus verè & propriè Filius Davidis Regis, quemadmodum in argumento hujus capituli propositum, non immediatus sed mediatus, & remotus: Est de fide & manifesta res est ex Scriptura sacra, primò ex Luca c. 1. vers. 26. & 27. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilee cui nomen Nazareth ad Virginem def-*

ponsatam viro cui nomen erat Joseph de domo David. Secundò, ex Luca c. 2. in initio, ubi cum existeret Edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis, & omnes irent ut profiterentur singuli in Civitatem suam, id est ubi erat caput familia, dicitur & Joseph ascendisse à Galilea de Civitate Nazareth in Civitatem David quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia David.

III.

Unde D. Justinus martyr cognomento Philolophus orat. ad Antoninum Pium Imperatorem dixit audacter, *Christum natū in Bethleem ex descriptionibus census quæ sub Cyrino primo vestro in Indea Procuratore confectæ sunt intelligere potestis:* & Tertullianus lib. 4. contra Marcion. c. 7. *Censum, inquit Augusti; testem fidelissimum Dominice Nativitatis Romana Archivia custodiunt:* ut credibile sit hanc ob causam Deum voluisse hanc fieri descriptionem à Romanis, ut exinde fideles infidelibus efficaciter probare possent & Christum promissum in lege venisse, & in Bethleem natum conformiter prophetiis de illo, & Filium esse Davidis & Abrahamæ.

IV.

Quod verò Justinus & Tertullianus dicunt de Christi Domini Nativitate, quod scilicet Tabulæ Romanæ illi attestentur, hoc quoque dicendum de D. Josephi & Christi Domini familia, quod scilicet uterque sit de familia David.

Pro-

- V. Probatur tertio, ex Matthæi c. 1. vers. 20. *Eccè Angelus Domini apparuit ei in somnis dicens Ioseph Filii David noli timere accipere Mariam conjugem tuam:* in quæ verba potest inquiri quare in hac occasione D. Iosephum Angelus appellet Filium David, ad quod respondeo ex mente nostri Imperfecti in Matth. c. 1. circa finem & D. Paschasti lib. 2. in Matth. Cùm tunc impleretur promissio facta Davidi quod de ejus femine Christus erat nasciturus, vocans tunc cum Angelus Filium David in memoriam ei reduebat istam promissionem ut eum relevarer; quasi dicens, Ioseph quid turbaris? memento te esse Filium David: Memento Davidi promissum de ejus femine Messiam aliquando nasciturum. Cùm ergo in conjugem tua pro qua turbaris hoc quod natum est illud ipsum sit quod fuit Davidi promissum, vide quàm tu sis felix inter filios Davidis, utpotè cui ista tanta benedictio reservata est.
- VI. Probatur quarto, hac evidenti ratione, quia oportuit omninò ad tempus aliquod mysterium Christi & Divinæ Incarnationis ejus diabolum latere & homines: diabolus quidem quia si illud agnovisset utique scivisset Christum Dominum esse promissum humani generis Redemptorem, ac propterea tantùm abest ut mortem ejus (ex qua futura nostra salus) procurasset, quin potius è contra omnibus modis impedire studisset: homines verò, quia si apertè etiam id cognovissent, nec fortè illos quantumcumque sui immemores, & cujusvis attentati ca-paces tota malitia diaboli ad istud faciendus unquam impellere potuisset.
- VII. Quare consequenter necessarium fuit ut Christus ad tempus non appareret saltem evidenter nisi homo: quod non benè successisset, nisi ita venisset, ut ex apparentiis putaretur filius viri & mulieris ut cæteri homines: & propterea licet conceptus sit & natus ex Virgine quia Deus, nonnisi tamen de desponsatâ priùs Viro D. Iosepho, (quo demon derentus est & illusus) undè factum ut non sit existimatus nisi homo, qui non natus nisi de muliere cõjugatâ.
- VIII. Cùm ergò necesse fuerit, & ita voluerit Deus ut Christus, ad tempus ap-

pareret & reputaretur filius viri & mulieris ut cæteri homines, necesse quod fuit omninò ut D. Iosephus ex quo genitus esse putatus est, Lucæ cap. 3. vers. 23. ex eodem genere esset, ex quo Christus esse debebat, si enim ex alio & alio genere hic & ille descendisset, fuisset data Judæis occasio offensionis & petra scandali, fuissentque excusabiles, si Christo dicenti se Christum esse, vel aliis attestantibus ut Joanni Baptistæ, contradicente ejus nativitate ex alio genere quàm quo procedere debebat secundum Scripturas, non credidissent, umquæ propterea repudiassent: immò secus faciendo imprudenter fecissent, quandoquidem eis constitisset illum qui ab omnibus existimabatur ejus Pater (& cujus contrarium, tunc credere non poterant) non ex eo genere descendisse, ex quo Christus in Scripturis Sanctis prædictus erat descensus.

Ne verò quidquam ad certitudinem tantæ veritatis tantique momenti desiderari posset, Sacri nostri Evangelistæ Matthæus & Lucas, eam etiam probatam nobis reliquerant, eodem profus modo, quo solet omnium descensus hominum probari, scilicet per genealogiam seu deductionem & iterum Progenitorum D. Iosephi, non solum naturalium sed etiam legalium, ut res esset clarior & manifestior.

Dices cum Laurentio Valla & Ambrosio Calepino in Dictionario quod hodie ab Authore suo nomen obtinuit Calepini, verbo *Pater*, sub hoc *Patris nomine* ad summum cõtinentur Progenitores proximiores, Pater, Avus, Abavus, Proavus, & Atavus, non autè Tritavus multò minùs remotiores, quia inquit cum dicimus patrum nostrorù memoria aliquid esse factum, non aliter ab omnibus intelligitur quàm de progenitoribus proxima ætate ante nostram, qualis non est illa Tritavi aut alia remotior: unde cõsequenter nec propriè loquendo aut David erit Pater D. Iosephi, aut D. Iosephus erit Filius Davidis.

Sed Respondeo nimis infirma est Laurentii Vallæ & Ambrosii Calepini ratio, ut deseramus autoritatem sacre Scripturæ, quæ Christum Dominum & D. Iosephum disertè vocat filios David,

Synopsis

Magnificat
D.
Iosephi
SV
117

IX.

X.

XI.

quæ Judæos ab Abrahamo descendentes licet in gradu remotissimo appellat Abraham filios, quod quidem adeo firmum est & indubitatum, ut ex istis scripturis tanquam verissimâ ac certissimâ Regulâ, Theologi Scotus in 4. Sent. distinct. 50. quæst. unic. art. 2. noster Baccionius in 4. distinct. 38. quæst. unic. art. 2. ad fin. Noster idem Urbanus ab Ascensione Theolog. suæ Moral. tract. 3. tit. 15. c. 5. & alii sine numero Theologi docuerint esse perpetuum impedimentum contrahendi matrimonii inter ascendentes & descendentes tam de jure gentium quam de jure divino & honestatis naturalis. Ita ut etiam antiquissimi Jurisconsulti negarint in eâ lineâ rectâ ascendentium & descendantium ullum consistere posse matrimonium. Ita Caius ff. de ritu nuptiarum 53. ubi sic ait: *Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas que in numero parentum liberorumve siue proximi siue ulterioris gradus sint usque ad infinitum*, & Instit. §. ergo de Nuptiis. *Nuptiæ cum quacumque personâ in infinitum in lineâ rectâ, contrariæ appellantur nefariæ & incestuæ.*

XII. Et licet contrarium hujus ultimi id est quoad nuptias contrahendas doceat noster Corneio tomo 2. in 3. part. D. Thomæ tract. 6. de impedim. matrim. disp. 7. dub. 12. conclus. 2. & alii ab eo ibi citati, ratio tamen pro oppositâ sententiâ, quod nimirum inter illos perpetuum sit impedimentum est efficax & manifesta, ne scilicet fiat subditus per matrimonium, qui est superior per naturam vel è contra.

XIII. Sed quidquid sit tandem de hoc impedimento, non tamen negant Corneio vel alii ab eo citati intercedere inter illos ascendentes & descendentes, rationem Principii & Principiati quod hic intendimus. Quare rectè & verè etiam in opinione nostri Corneio & cum eo opinantium, D. Josephus descendens ex Davide rege per lineam rectam, rectè dicitur filius ejusdem Davidis.

XIV. Deinde cur quæso consanguinitas lineæ rectæ potius clauderetur in sexto gradu quam vel in septimo suprâ, vel in quinto infrâ? Secundò, quomodo potest hoc esse verum quod putant Calepinus & Laurentius Valla, cum etiam

in linea collateralis olim impedimentum matrimonii extenderetur usque ad septimum gradum? Tertio, tandem ad rationem Vallæ & Calepini respondeo, cum dicitur aliquid actum esse de Patrum nostrorum memoriâ id non posse extendi ad omnes ascendentes seu positos in lineâ rectâ in infinitum, quia tunc sermo intelligitur de Patribus illis à quibus res illa à nobis ultimò accipi potuit, & à quibus hi ultimò accipere potuerunt, ita ut non ulterius progredi permittatur: hac autem ratione quæ dicuntur acta de Patrum nostrorum memoriâ non extenditur ultra quintum aut sextum gradum ascendentium in lineâ rectâ: sed aliud est longè rem aliquam memoriâ Patrum non excedere, aliud eorum non excedere consanguinitatem: primum probat ratio Vallæ & Calepini, contra secundum stat Scriptura & ratio.

Non tantum fuit D. Josephus verè XV. Filius David origine & sanguine, sed fuit etiam fide & virtute, ut patebit ex dicendis per totum hoc Opus, quod quidem est excellentius & principalius, ut enim præclare noster Imperfectus in Matthæum cap. 3. ad illa verba D. Joannis Baptistæ ad Judæos, *Nolite dicere intra vos Patrem habemus Abraham*, id est, ut dicunt Judæi, Joann. cap. 8. vers. 32. *Semen Abraham sumus*. Et vers. 39. *Pater noster Abraham est*, cui scilicet à Deo promissio facta est in filiis & posteris suis complenda, *Nolite*, inquit Imperfectus, verba Baptistæ interpretans, *gloriarî dicentes, quia Patrem habemus Abraham, sed magis erubescite, quia filii ejus estis, & sanctitatis ejus non estis heredes: ipse enim suo testimonio se convincit quia de adulterio natus est, qui non similatur Patri.*

Quare D. Josephus verè undequaque XVI. Filius David, cum & ab eo carne descendat, & ab ejus moribus non discedat. Ex quo iterum respondetur ad questionem cur ab Angelo semper nuncupatus sit filius David D. Josephus, non verò filius Jacob, à quo tamè immediate genitus, aut filius Heli, qui ex lege Deuteronomii genitus, quia nimirum David excelluit in virtute & sanctitate supra omnes ejus Progenitores, & ipse ut verus ejus filius & ab eo verè progenitus

tus omnem Davidis parentis virtutem referrebat.

XVII. Hinc D. Antoninus part. 4. Theol. rit. 5. cap. 8. Dicitur, inquit, Ioseph de domo David non tantum propter successi-
nem in genere, sed principaliter propter virtutum imitationem, quia tales proprie dicuntur esse de una domo, juxta illud Psalmi 67. vers. 7. *Qui habitare facit unius moris in domo.* Et D. Bernardus homil. 2. super *Missus est*: Verè ergò de domo David, inquit, verè ex regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior, planè filius David, non degenerans à Patre suo David. Prorsus, inquam, filius David non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione.

XVIII. Sed pressius adhuc Rupertus lib. 1. in Matth. c. 1. ubi querit cur Deus Iosephum permiserit cadere in anxietatem ex viso utero suæ uxoris, & questioni satis facit. Hic, inquit Rupertus, *per cunctari libet, quare timorem ejusmodi Deus illi evenire permiserit? quare non prevenit? quare hunc ipsum Angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea? tunc scilicet quando misit ad Virgineam que ei desponsata erat: videlicet ut tentaretur, & manifestum fieret tam sanctis Angelis quam nobis hominibus de ipso quod esset Iustus, & talis qui dignè sic deberet appellari Ioseph filii David.* Hic etenim idem Pater ejus David maluit exulare quam uti desponsata erat: *Diligens amicum tuum & odio habebis inimicum tuum. Tradiderat in manu ejus Saul odientem & persequentem, & nuntiavit ei Abisat perfodiam eum lancè in terra semel, & secundo opus non erit. At ille, vivit Dominus, quia nisi Dominus percussisset eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit: popitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in Christum Domini: Et post hæc surrexit David & abiit ad Achis Regem Geth, & habitavit cum Achis in Geth: quomodo iste Iustus Ioseph occultè dimittere eam voluit dimittere eam voluit quam habebat desponsatam, nisi proficisceretur in regionem longinquam sicut fecit ille David? Amplius autem ex eo filius David tam insigniter tali in re, tali in tempore dignus fuit appellari dicente Angelo, Ioseph filii David. Quia fidem habuit eandem quam habuit Pater ejus fidelis David: quippe qui*

prius inaudita credidit, videlicet quod ipsa qua conceperat Virgo esset secundum verba hæc ejusdem Angeli, Quod enim in eà natum est de Spiritu Sancto est, &c. Nam promissionis sive repromissionis, in qua credendo Pater Abraham justificatus & amicus Dei appellatus est consummatio est hic sermo Angeli quem in somnis accepit, & statim obedivit Deo credulus puella benevolus, cæcæus Vir Iustus, exinde justissimus.

XIX. Neque aliter ferè fieri potuit quippe qui non tantum ex nobilissimo illo sanguine Davidico progenitus est, sed etiam ex defæcatisimo: Quomodo verò hoc? in eo scilicet quod Pater qui genuit eum Jacob scilicet filius Nathan Matthæi cap. 1. eum genuit, non concupiscentiæ languinem & carnem ad id inflammante, sed virtute hanc & illam coercente & refrigerante: processit enim ad ejus generationem ex Dei lege Deuteronomii cap. 25. præcipiente ut fratri suo Heli sine liberis demortuo suscitaret semen in ejus uxore superflite.

XX. Placet ergò mihi maximè hic quod de Viri Sancti formatione eleganter à modum pronuntiavit Boëtius lib. 4. de Consolat. Philosophiæ Profa 6. *Viri Sancti corpus virtutes adificarunt.* In quem enim melius hoc dictum quadrat quam in D. Iosephum nostrum, cuius formatio fuit ipsa Divinæ Legis observantia, & voluntatis Dei per præceptum significatæ executio? cum Pater qui eum genuit non processerit ad ipsius productionem ex suâ, sed ex Dei voluntate.

XXI. Non itaque caro seu concupiscentia proprie habuit locum in generatione hujus Sanctissimi Viri, sed Lex Dei. Quantum ergò Sanctus? Si ab Heli ad quem ex lege pertinuit genitus fuisset utique concupiscentia corpus D. Iosephi ædificasset, sed à Jacob fratre Heli defuncti ex præcepto legis genitus, lex certè corpus ipsius edificasse dicenda est: Divinitus ergò procuratum est ut ita D. Iosephus nasceretur, quatenus ex ipso etiam ortu ejus, patesceret Virum magnæ virtutis futurum qui tali modo nascebatur, ubi scilicet desinente lasciviâ concupiscentiæ carnalis constabat, quia nulla in conceptione ejus

D; causa

Synopsis

Magnificat
D.
Iosephus
RV
111

causa voluptatis, sed sola cogitata sit spiritu: lis gratia prolis.

XXII. Quare quod Menæus Græcus de Sancto dixit Gregorio Nanzianeno. *Si statua ex singulis cunctisq; virtutibus humanâ effigie formanda esset talem fuisse Gregorium scito.* Idem ego fortiori que jure dico de Divo nostro Iosepho. Si statua virtutis formanda est, si virtus ipsa coloribus depingenda est, pingatur D. Iosephus, vel è contra si D. Iosephi forma delineanda est, virtus exprimatur: Detur Sanctissimo Viro frons modestiæ, dentur mansuetudinis oculi, genæ verecundi pudoris, prudentiæ labia, os temperantiæ, liberalitatis ac justitiæ manus, pedes fortitudinis & diligentiae, pectus denique charitatis.

XXIII. Sed si talis forma exterior, quid dicemus de animâ seu spiritu inquilino? de hoc fulissimè per totum hoc opus: hoc tantùm anticipando præmitto. Quod adulatoriè & mendaciter aut certè hyperbolicè de Alipio jactabat Ennapius in Jamblich. *Alipius fuit totus anima.* Verissimè asserendum de viro illo Sanctissimo de quo mihi hic est sermo, *D. Iosephus totus fuit anima:* ejus enim cogitatio nihil spectabat quod esset carnis, ejus affectus & amor nihil respirabat quod esset carnis: immò nec sensus corpori licet immerfus quidquam sapiebat quod esset carnis, *Erat enim totus anima.*

XXIV. Audeam ergo hic antiquum proferre Theologiæ Rabbinicæ figmentum, quia rei nostræ mysterium videtur continere. Dicunt illi animas hominum scintillas esse ab illo infinito decidas splendore, qui de Dei vultu promicat: Corpora verò ex nivium thesauro, qui sub scabello seu throni ejus subsellio reconditur, educi.

XXV. Quidquid sit de illâ Theologiâ, fictitia sit an Symbolica? Non litigo: quis tamen non diceret divina illa materialia in sancti formationem Iosephi feliciter coaluisse? Illum que totum ex illis compositum fuisse?

XXVI. Enimverò quid in nive spectandum? quod frigida sit & candida in summo. Et cum Divum cernimus Iosephum, ut infra exhibebitur, in ætate floridâ constitutum, cum puellâ omnium specio-

ssimâ diu noctuque cohabitantem, & cum illâ per totos triginta annos continuò conviventem, & continentem ita castè, ut ne vel minimùm carnis passus sit ne dicam æstum, sed nec motum, quid dicemus? Nonnè carnem illius niveam fuisse? O quanta frigiditas! sed ò quantus candor! ò quanta puritas! hæc pro ejus corpore.

Cum verò eum in tot occasionibus adeoque urgentibus, quas in decursu hujus operis videbimus, in quibus temperatissimus quisque concitaretur, tam tranquillum, tam moderatum, tam pacatum conspicimus, an dicemus illius animam aliud quàm æterni luminis è facie Dei promicantis esse scintillam? ut verè ac verissimè si quis ullus de se Divus potuerit dicere Iosephus illud psalm. 4. v. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti letitiam in corde meo.

Ceterùm cum titulum hujus capituli, *Ioseph filius Davidis Regis*, non significat D. Iosephi Patrem immediatum, ut pater, sed mediatum tantùm & remotum, cumque valde distitum, ut constat ex ejus genealogiâ, Matth. c. 1. cogimur antequam ad ejus Patrem immediatum veniamus, ejus progenitores repetere.

CAPUT II.

De Progenitoribus & Genealogia D. Iosephi.

UASTIO hæc una est è difficilioribus totius Evangelii, & quæ omnes fatigavit ejus Interpretes, nosque hic diutius quàm vellemus detinebit. Sed nostrum & illorum in hoc laborem damnatus damnat Lutherus apud Patrem Canisium lib. 1. de Deipara c. 3. & damnatum censet 1. ad Timoth. c. 1. ubi sic Timotheo Apostolus, *Rogavi te ut maneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, & ut denunciares quibusdam ne intenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ quaestiones præstant, magis quàm adificationem Dei quæ est in fide.* Item ad Tit. c. 3. v. 9. his verbis: *Sententias quaestiones & Genealogias, & contentiones & pugnas legis devota, sunt*